

autem eius nec ad lectos, nec ad cussinos valent, **14** quia si quis desuper recumberet, cum difficultate graviter dormiret. **15** *Quecumque enim ales rapax est et ferocem et instabilem naturam habet, pennas inquietas adverso aere habet, nec propter diversam naturam que in eadem alite est, ad quietem hominis prosunt. Penne autem illorum volucrum qui in aquis simpliciter versantur et qui etiam in terra simpliciter vadunt, ad quietem hominis bone sunt, quoniam diverso aere perfuse non sunt.*

VI-19

Sperwere / (Nisus) calidus et letus et velox est in volatu, **2** et alte et inferius et in medietate aeris volat. **3** Quod si vir aut femina in libidine ardet, **4** accipiat **sperwere**, et eo occiso pennas auferat, et tunc capite et visceribus abiectis, reliquum corpus in novam ollam modico foramine perforata, absque aqua ad ignem incendat, **5** et sub ollam istam aliam novam ponat. **6** et **smalz** effluens ita excipiat, et tunc de **calandria** et minus de **gamphora** contundat, et cum prefato **smalze** commisceat, et denuo ad ignem modice calefaciat, et sic ungentum faciat. **7** Et vir veretrum suum et **gelanken** cum eo per quinque dies ungat, **8** et per mensem unum ardor libidinis in eo cessabit absque periculo corporis sui. **9** Mulier autem circa umbilicum **10** et in ipso foramine umbilici cum eo se ungat, **11** et ardor ille in ipsa per mensem cessabit. **12** Et mense peracto, iterum tam vir quam femina **13** ibidem se inungant, **14** et ita remedium de libidine habebunt. **15** Quod si **calandriam** et **gamphoram** habere non poterunt, accipiant minutissimas pennas nisi, et sufficienter de eis per quinque dies in **boumoleum** ponat, ut in illo ad solem incalescat, et sic servent, atque in predictis locis corporis sui tam vir quam femina cum eo se ungat, et ardor libidinis in eis evanescet. **16** *Minute autem penne eiusdem alitis bono aere sepius perfuse, et bono temperamento calide, et calore olei olive permixte, et etiam calore solis ad bonum calorem excitata, ardentem libidinem bona naturali virtute sua extinguunt.* **17** Cetera autem que in eo sunt ad comedendum nec etiam ad medicinam valent.

VI-20

Milvus calidus est, **2** et calorem diligit, et cum sol splendet in calore eius libenter volat, et etiam in calida umbra libenter manet. Sed ardorem aeris devitat **3** nec altitudinem ipsius, **4** sed in medietate et inferius eum volat, **5** atque minutas aviculas libenter rapit, sed tamen non multum acer est. **6** Sed caro eius ad comedendum homini contraria est, quia omnes aves que unguibus **crimment**, ad comedendum homini contrarie sunt. **7** *Aves enim quorum rapina in unguibus est, artem latronum et furum habent. Unde si homo carni-*